

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOSEPHUS KNIGHT CAREY,

HIBERNUS,
SOC. REG. MED. SOC. EXTRAORD.

NECNON
SOC. REG. PHYS. EDIN.

ET
S. H. M.

ὁ βίος βροτοῖς ἄδηλος.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCIJ, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1800.



VIRO EXIMIO,

ROBERTO WALLER,

EQUITI BARONETTO,

DE LISSBRIEN,

IN PRÆFECTURA TIPPERARIENSI,

OMNIBUS, QUÆ VIRUM ORNANT,

PRÆDITO ;

HOC TENTAMEN,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

DICAT,

AUCTOR.



NECNON

JOHANNI VIZE,

ET

JOHANNI UNTHANK,

ARTEM MEDICAM,

IN URBE LIMERICENSI, SUMMA CUM LAUDE,

EXERCENTIBUS,

Scientia virtutibusque pariter insignibus,

Propter plurima in se collata beneficia,

Grati animi summæque observantiæ pignus,

Hocce quaecunque OPUSCULUM,

OFFERT,

AUCTOR.

NULLA re homines proprius accedunt ad Deos, quam salutem
hominibus dando. Cic.

*

CORRIGEDA.

P. 14. *l.* 5. *pro* rediffet, *lege* rediiffet.
— 20. - 13. — sudore smatutini, — fudores matutini.
— 21. - 6. — redit — reddit.
— 36. - 7. — faciuntur. — fiunt.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

JOSEPHO KNIGHT CAREY, AUCTORE.

REGIO in orbe terrarum omnis, ex quibus-
cunque causis, seu incolarum consuetu-
dine aut vivendi more, seu cibis quibus maximè
utuntur, seu ipsius loci situ plagaque, morbo
cuidam endemico, sibi peculiari, plerumque
subjecta est.

MALUM, de quo in hoc tentamine disceptatur,

A

insulæ

infulæ nostræ, scilicet Magna Britannia Hibernia-
que, ut morbum proprium hæud immeritò sibi
vindican, proculdubio in his, præ aliis terris
omnibus, sævissimè grassatur. Si ex mortuorum
tabulis, quæ Londini fervantur, calculus in-
stituatur, clare patet, ut ad minimum viginti
quinque vel triginta millia ex Britannia solâ,
hoc uno morbo, quotannis e vivis eripiuntur.
Sed quod valde dolendum est, hoc monstrum
immisericors in eos utriusque sexus, qui formâ,
pulchritudine, animique dotibus præstant, et
ea ætate quâ munera civium maximè fungenda
sunt, suos impetus nefastos exercere gaudet.
An unquam hæc devastatio cessabit? Quando
illa lux bona surget, quâ remedium in hoc malo
debellando fallere nesciens *ars medica* inveniet.
Conatus, qui per *gasia nova*, *digitalem*, semen
phellandrii aquatici aliaque, medici hodierni
faciunt, certe laudandi sunt, et forsan liceat
nobis sperare huic tyranno ætatem ultimam
regni, heu! nimis longi, cito venturam esse.

PHTHISIS, in Nosologia CULLENIANA, quâ nostrates semper utuntur, ut hæmoptyses sequela, hisce verbis definitur :

“CORPORIS emaciatio et debilitas, cum tussi, febre hæctica, et plerumque expectoratione purulenta.”

SUB hoc genere species duæ, putà *incipiens* sic dicta, et *confirmata*, ab eodem auctore enumerantur : illa sine, hæc cum puris expectoratione vexat. Forfan hæc, ut unius ejusdemque morbi gradus potius quam species diversæ, habendæ sunt.

SYMPTOMATUM ENARRATIO, QUÆ IN
MORBI DECURSU ORIUNTUR.

PHTHISIS cum tussicula brevi, ficca, cum calore febris lenis comite, plerumque ingreditur; sic formam ambiguam catarrhi induit, quo nec ægro nec ejus amicis aliquid terroris incuteret. Tamen, non longo post tempore, superveniunt dolores, alterum vel utrumque latus infestantes, nunc fixi, nunc erratici, plerumque leves, aliquando magis acuti. Decubitus in alterutrum latus, dolorem augendo, tussimque incitando fit molestus. Respiratio ex causis levissimis, veluti ex exercitatione etiam lenissima, aut locorum acclivium ascensu, haud parum acceleratur. Languor mentisque inertia ægro gradatim obrepunt. Macies, ad primum morbi ingressum exigua, magis indies crescit, sed lentè admodum, quo fit ut ejus incrementa frequenter omnino negligantur.

MORBUS, formâ fallace rejectâ, nunc aperte se prodit. Dolores ad thoracis regionem quotidie gravantur. Tussis frequentior evadit, præsertim nocte, et hinc ab ægri oculis omnem fere somnum abripit. Exscretio, quæ sub morbi ingressu aut nulla aut parca fuit, fit nunc locupletior: et sputa, non, ut olim, constant ex mucosâ perlucida glutinosâque, sed ex materie opaca friabili, denique purulentâ, sæpe spumosa, cum sanguine striata, et sapore salso. Ægroti mane ex lecto surgentis oculi hument, et cutis præsertim pedum ardet. Oritur calor sensus ad manuum volas, genas, et pedum plantas, cum advesperascit, et post paulum, auctus. Urina colore variat, nunc augetur, nunc minuitur. Cibi desiderium non multum deficit, et tussi ingruente, propensio ad ingesta rejicienda nonnunquam oritur.

NON longe post morbi exordium, febrem, quæ dicitur *hectica*, comitem sibi nanciscitur. Symptomatum series e quibus *hectica* constat

tam

tam accurate et breviter a CULLENIO nostro enarratur, ut ipsissima verba citare me delectet.

“ A hectic fever (inquit ille, medicorum facile
“ princeps) has the form of a remittent, which
“ has exacerbations twice every day. The first
“ of these occurs about noon, sometimes a
“ little sooner or later ; and a slight remission
“ happens about five afternoon. This last is soon
“ succeeded by a second exacerbation, gra-
“ dually increasing till after midnight, but after
“ two o'clock of the morning a remission takes
“ place, which becomes more and more confi-
“ derable as the morning advances. The exa-
“ cerbations are frequently attended with some
“ degree of cold shivering, or at least the
“ patient is exceedingly sensible to any cool-
“ nefs of the air, seeks external heat, and often
“ complains of a sense of cold, when, to the
“ thermometer, his skin is præternaturally
“ warm. Of these exacerbations, that of the
“ evening is always the most considerable.”

Non multo post unamquamque accessionem febrilem, præcipue vespertinam, sudores plus minuste profusi, non per corpus omne, sed pectus, brachia, faciemque erumpunt; ægrique vires magnopere inlirmant. Urina quoque, paroxylimo hecticæ urgente, subrubro colore evadit, sedimentique fuscifuraceo-lateritii vim maximam deponit. In hac febris specie, functiones parum turbatæ sunt. Cibi appetentia non multum minuitur, imo etiam præter naturam aliquando augetur. Sitis vix ulla sentitur, nec os semper arefcit, et lingua etiam lævissimo sub morbo plerumque munda apparet. Pulsus tamen arteriarum sub initio parum citatior, progrediente morbo, durus, interdum plenus, et denique debiliior et frequentior reperitur. Aphthæ in ore aliquando erumpunt, pallor vultum, spatium in genis rubro circumscripto excepto, totum occupat. Vox ægri rauca auditur; nonnunquam tota ad siluram deficit. Tussis clangosa et frequentior evadit; sputaque magis purulenta, albentia, flaventia aut viridantia

cum

cum sapore materiæ putrescentis rejiciuntur; anima quoque foetida redditur.

NUNC morbus crudelis ultimum ad stadium appropinquat. Corpus totum tabescit, viresque ejus omnino infractæ sunt. Iisdem fere temporibus in fæminis oritur *amenorrhœa*. Alvus, sub initio sudoribus fluentibus, plerumque pertinaciter adstricta, hinc Hippocratis axioma, "alvi densitas, cutis raritas;" nunc illis deficientibus, diarrhœam perpetuam patitur; excretio quoque fere omnis supprimitur; etsi tussis molesta ægrum fatiget. Oculi jam in orbitis subsidunt, tunicaque albuginea splendendum margaritarum colorem refert. Corpus ad cutem et ossa, cruribus pedibusque, quæ œdemate afficiuntur, exceptis, totum emacescit; pili decidunt, ungues incurvantur, et os totaque forma speciem adeo squalidam lugubremque induunt, ut descriptio quam cecinit poëta pro vera habenda fit.

- — — “ CAVA lumina, pallar in ore ;
 “ Labia incana situ, labrae rubigine fauces ;
 “ Dura cutis, per quam spectari viscera possent ;
 “ Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis :
 “ Ventris erat pro ventre locus. Pendere putas
 “ Pectus, et a spine tantummodo crate teneri.
 “ Auxerat articulos macies, genuumque rigebat
 “ Oribus, et immodico prodibant tubera talo.”

OVID.

ERST hæc funesti morbi instantis haud dubia indicia sunt, æger tamen nonnunquam ab animo demisso vacat. Contra, de sua valetudine redeunte semper garrit, et longam vitæ futuræ spem inepte fovet. Subinde, mens magis alienatur, ægerque delirio affectus diem supremum obit, et ab miseris omnibus solatium requiemque in morte invenit.

PHTHISIS per hoc iter ut plurimum pergit : tamen haud notatu indignum est, omnia symptomata jam recensita plerisque in casibus non clare in conspectum venire, neque eodem temporis spatio suum cursum absolvere. Aliquando in menses duas tresve suum cursum corripit, nec exempla desunt in quibus ægrum in duodecim,

etiam viginti annos, prius detinet, quam ad mortuos relegaret. Ut plurimum tamen a sex mensibus ad tres annos durat.

ÆTIOLOGIA.

MALA præcipue quæ hunc morbum inducunt, putà hæmoptysis, suppuratio ex pneumonia orta, catarrhus asthmaque, non raro inveniuntur, ubi phthisis nunquam oritur: hinc patet aliquam proclivitatem dari, quæ huic morbo pronos homines facit. Igitur quærendum est quænam sit hæc proclivitas? Quibus signis dignosci potest?

CAUSAM huic morbo prædisponentem esse labem quæ a parentibus ad suam sobolem cum vitæ flaminibus datur, observationes medicorum multæ docent. Hinc quoque patet hanc labem vel in habitu sic dicto scrophuloso constare, vel saltem cum eo semper consociari.

Illis

Illis, qui utrisque morbis præ aliis afficiuntur, habent temperamentum sanguineum, vel sanguineum cum phlegmatico conjunctum; sensus justo acutiores, venæ cæruleæ ampliores, facies tenella pulchraque cum labio superiore alisque nasi crassis; pupilla quoque ampla ut signum hujus indolis a quibusdam habetur. Hujus indolis vero natura intima nos penitus latet, sed suos effectus præcipue in systema lymphaticum exercere videtur. Præterea, vix unquam strumosos tumores aliqua in corporis parte reperies, quin etiam pulmones tuberculis, quæ suppurationem phthificam inducunt, inficiantur. Tanta quidem similitudo tubercula inter et tumores strumosos intercedit, ut hic nexus attentionem physicorum haud levi sibi non immerito vindicavit; et a nostro GREGORIO in suo tentamine quod “ De morbis cœli mutatione medendis” in lucem eduxit, sic depingitur. “ Præterea magna certe similitudo et analogia est inter tubercula et ulcera phthifica in pulmonibus, et tumores abscessusque serophulosos in cæteris corporis partibus. Eandem

speciem externam, et si cultro inciduntur, internam habent ; eandem spiffitatem et duritiem ; eodem modo a parvo initio ad molem sæpe magnam paulatim crescunt, et plerumque sine magno dolore aut molestia tardè et ægrè suppurant, et nunquam in suppurationem benignam abeunt, sed ulcera fœda et vix sanabilia relinquunt. Eodem anni tempore ambo se ostendunt, hiemali scilicet aut verno ; accedente æstate levantur aut dissipantur ; at reversa hieme ambo sæpe redeunt. Denique in sectionibus cadaverum eorum quos scrophula plane occidit, tumores scrophulosos in omnibus corporis partibus, et tubercula in pulmonibus ejusdem speciei haud raro reperiuntur.”

MAXIME ergo similitudo inter duos morbos existit ; et observationibus hodie factis probari videtur mala ista plerumque conjungi ; medicisque, meâ sententiâ, jam concludere licet quandam constitutionis labem, quæ vel scrophulam

vel

vel phthisin pulmonalem gignere potest, a parentibus ad suam prelem deduci.

THORACIS deformitas congestioni sanguinis in pulmonibus favendo, etsi non semper cum habitu scrophuloso confociata, sæpe viam huic morbo sternit. Hinc phthisici plerumque pectus arcum, costasque depressas, scapulas prominentes cum collo longo habent.

CATARRHUS quo nullum malum hisce in infelis degentes frequentius vexat, phthiseos causa omnium vulgatissima habetur; haud merito quidem, nisi in iis quorum pulmones jam tuberculis lædantur. Verum enimvero ille morbus membranam narium faucium bronchiorumque mucosam solum aggreditur, et aucta secretionem tollitur, nullo vestigio relicto. Hæc vero in ipsos pulmones suos impetus facit, et nisi in initio victa ad suppurationem pergat; hæmoptysis quoque, nulla phthisi infecutâ, sæpe existit. Quoties, aliqua solita evacuatione suppressa, mensuris hæmorrhoidalibusve

hæmorrhoidalibusve cohibitis, membro amputato, pulmonibusque per ensem glandemve faucibus, sanguis per sputum ejectus fuit, cum æger haud longo post tempore ad bonam valetudinem fruendam sine ullo detrimento redisset.

SUPPURATIO etiam quæ pneumoniam sequitur in qualibet constitutione ad phthisin inducendam non valet: hinc aliqui post empyema vel etiam vomicam valetudine secunda fruuntur. Asthma quoque, multis testantibus medicis, phthisin nisi in prædispositis gignere non solet.

RUBEOLA, variola, scorbutus, syphilisque inter causas phthisin moventes recensentur, et tuberculis formandis favere dicuntur. Tamen hisce in casibus forsan tabes scrophulosa ingenita ex conspectu latebat.

ANIMADVERTIT MORGAGNI eos sæpius phthisi laborare qui lapides incidunt, inhalatis putà, minutissimis lapidum particulis, quibus pulmo-

nes irritantur et ad inflammationem excitantur. Idem de hominibus molariis, linariis, et similibus, propter causam omnino similem, observatum est. In nostra regione tamen homines hujusmodi non frequentius quam alii per phthisin mortem oppetunt.

TUBERCULA quamvis a plerisque inter causas excitantes recensentur, ad prædisponentium ordinem rectius referri mihi videntur; quoniam ex lectis mortuorum cadaveribus compertum habemus, in pulmonibus multorum, qui tamen nulla phthiseos symptomata unquam ostendissent, talia tubercula extitisse; licet in nullis, nisi qui signorum indolis scrophulosæ participes fuerunt, ut mihi innotuit, unquam inventa sunt.

DE tuberculorum natura, modoque quo innascuntur, nihil omnino certi novimus. Admodum diversæ magnitudinis a seminis exiguissimi usque ad fabæ molem inveniuntur, plus minusve numerosa per pulmones dispersa. Alia
steatomatibus

steatomatibus similia, firma, ad osseam etiam duritiem appropinquantia; alia mollia, flexibilia; incisa plerumque albida et cartilaginosa videntur; in quibusdam foramina parva vides; quæ grandiora sunt, cavitates, in quibus plus minusve puris continetur, non nunquam habent.

MATERIA calcarea in pulmonibus formata interdum phthisin inducit, hujus vero materiæ origo nos penitus latet.

SECUNDUM opinionem Sauvagesiam tubercula ex glandulis bronchialibus, per lympham concretam scirrhis redditis, formantur. Hæc vero doctrina ad nodum solvendum facta est; nam lympham unquam reverà in glandulis concretam esse haud probatum est; neque hæc concretio, etsi daretur, sufficere videtur, nam hæc ubique in pulmonibus reperiuntur glandulæ vero superficiem eorum solum amant.

TUBERCULA in iis quibus fit indoles serophulosa forsan ex vasorum lymphaticorum quæ in tela cellulosa pulmonum distribuuntur, distensione morbida oriri possunt. Forsan, ut mihi videtur, aliquando ex mucō spissato derivantur: pauxillum mucī in bronchiis stagnatum, membrana irritata, et ad lymphæ coagulabilis effusionem stimolata, fit nucleus qui magis indies crescit, et denique tuberculum evadit. Hoc modo fit, ut variis in exemplis corpora diversa ab externo recepta interdum tuberculorum nucleos faciunt. Hæc idea experimento a Doctore Saunders instituto optime feliciterque illustratur: “ Two
“ drachms (dicit ille) of crude mercury were
“ injected into the crural vein of a dog; after
“ a short time he became feverish, with dysp-
“ nœa, cough, and daily increased symptoms
“ of diseased lungs, of which he died. His
“ lungs were found full of tubercles, each of
“ which contained a globule of mercury, form-
“ ing, as it were, its nucleus.”

QUÆCUNQUE sit horum tuberculorum natura, eorum inflammatio suppuratioque phthiſeos et ſymptomatum, quæ in ea oriuntur, cauſa proxima habendæ ſunt. Hæc ſymptomatum ſeries quindecimum diem inter et trigeſimum quintum plerumque incipit. Pauca tamen exempla habemus in quibus tam ætate provec̄tos quam juniores enecavit. Fæminæ, quippe quibus eſt corporis compages laxior vitaque magis ſedentaria quam maribus, huic morbo ſunt opportunioreſ.

DIAGNOSIS.

SUPREMO in ſuo ſtadio per ſummam maciem, puris expectorationem hec̄ticæque ſymptomata omnibus ab aliis morbis facile fecernitur. Sed cum ſigna morbi incipientis catarrhum vulgarem comitari ſoleant, diſcrimen quam accuratiſſimum inter duos morbos noviffe medicum decet. Quærendum eſt primo, ægerne ſigna
indolis

indolis phthificæ ostendat, vel annon a sobole scrophulosa, cujus quidam olim a phthisi correpti fuerunt, suam originem ducat? Signa vera diagnostica catarrhum inter et phthisin incipientem ex sputis præcipue quærentur. Mucus in catarrho plerumque pellucidus est, et in superficie aquæ natat; pus vero opacum apparet et aquâ gravius fundum petit. Criterion hoc tamen nonnunquam fallere potest; nam mucus interdum puris colorem densitatemque simulat, pusque aëre sufflatum et mucò commixtum supra aquam natat. Experimenta a Carolo Darwin instituta, et cum eodem fere eventu a Ryan repetita, non negligenda sunt. Ex hisce experimentis patet mucum facilius quam pus in acido sulphurico solvi, et, si utriusque solutioni aqua adjecta fuerit, mucum vel in summo natare vel in flocculos dispergi: pus contra fundum petere, vel agitatum æque per aquam diffundi, et turbidam reddere. Sed si hæc signa non omni dubio careant, macies, viriumque pro-

stratio, quæ jam instant, phthifin adesse tuberculaque formari fatis evidenter demonstrabunt.

PROGNOSIS.

DE phthificis vix aliquid fausti nobis sperare licet. Vix non omnes, qui hoc morbo semel impliciti fuerint, citius ociusve eodem diem supremum obierunt. Quidam tamen phthifi correpti, de quibus jam fere conclamatum fuit, ab ipsis orci faucibus revocati fuerunt, et ad multum senectutis integra cum valetudine vixerunt. Hisce exemplis vero non multum confidendum est. Si febris symptomatica suam formam impleverit, si sudore matutini evaserint copiosiores, vel cum diarrhœa alternaverint, nulla salutis spes manet; contra, hisce signis infaustis absentibus, phthifi formam catarrhi induente, de ægri valetudine sperandum est, remediaque ad morbum debellandum conducentia sedulo adhibenda sunt.

MORS improvisa, suffocatione ex rupta vomica grandiore inducta, phthificos nonnunquam tollit. Si vero pus effusum ex bronchiis exputum fuerit, æger interdum feliciorē fortunam patitur, adque valetudinem confirmatam aliquando redit.

MEDICUS de mali duratione mortisque tempore rogatus cautè augurare debet; nam cum multa signa finem ultimum cito venturum esse monstrare visa sunt, æger sæpe ex improvise in melius vertitur, ejusque vita plures in menses, nonnunquam etiam in totidem annos, producitur.

MEDENDI

MEDENDI RATIO.

IN hoc malo debellando remedia ad tria consilia perficienda adhiberi solent.

I. CAUSÆ excitantes evitandæ sunt.

II. TUBERCULORUM formationi, inflammationi suppurationique obveniendum est, vel eorum absorptio est promovenda.

III. SYMPTOMATA quæ maxime vexant levanda sunt.

I. QUONIAM nemo congenitam ad phthisin proclivitatem aut evitare aut acceptam deponere potest, prophylaxis omnis in causis excitantibus evitandis posita est. Quum catarrhus frequenter in iis quibus labes hæreditaria fit, phthisin gignat, ad regiones australes, Hispaniam,

niam, Olyziponem, Italiam, Bermudæque et
Maderæ insulas, his cito migrandum est. Hæ
regiones temperie æquali constantique cœloque
fereno et sicco gaudent. Vero in nostris regioni-
bus caloris frigorisque vicissitudines tam subitæ
sunt, ut postica dies nonnunquam hesternâ
23° frigidior evadit. Effectus qui ab hac mi-
gratione oriuntur, a nostro celeb. GREGORIO
in suo opere jamjam citato sic describuntur.
“ Multi nostrorum quotannis qui omnia signa
“ habent tuberculi incipientis in pulmonibus,
“ instante hieme, cœlos mitiores petunt, ibique
“ manent per hiemem unam vel alteram. Non-
“ nulli a morbo prorsus liberantur et in patriam
“ sani et robusti redeunt, nec ulla postea
“ phthiferos signa percipiunt. Alii, autem, qui
“ unam tantum hiemem peregre morati sunt,
“ in patriam redeunt, sese credentes sanos et
“ incolumes; at, a prima hieme, morbo pristi-
“ no corripuntur, et brevi tempore pereunt.
“ Cum igitur cœli mutatio tanta vi pollet in
“ hoc

“ hoc morbo medendo, ut tubercula jam for-
 “ mata tollere et solvere possit, a fortiori, eo-
 “ rum formationem prævenire debet. Et ita
 “ res se habet; nam in regionibus calidiori-
 “ bus, etsi scrophula nonnunquam occurrat,
 “ phthisis pulmonalis raro observatur. Exspec-
 “ tare ergo æquum est, scrophulosos nostros,
 “ in tales regiones ante ætatem phthificam
 “ transvectos, a phthisi immunes fore.”

“ FLY, if you can, those violent extremes
 “ Of air; the wholesome is nor moist nor dry.
 “ But as the power of chusing is denied
 “ To half mankind, a farther task ensues;
 “ How best to mitigate these fell extremes,
 “ How breathe unhurt the withering element,
 “ Or hazy atmosphere *.”

“ Prout aer se habet, homo etiam se vestire debet.” DE HAEN.

DECET eos, quibus hæc itinera perficere non
 licet, summa ope niti, ut ab cœli nostri vi-
 cissitudinibus defendi possint. Hoc consilio
 panno laneo juxta cutem uti, et ab omni fri-
 gore, præcipue cum humiditate conjuncto ca-
 vere

* Armstrong on Health.

ere debent. Korti observationes ad hanc rem strenuè ducunt. En verba! “ Revulsionis quoque causa pectori imponi potest pannus laneus, vel totus nudus thorax vestimento laneo indui; quod transpirationem topicam augendo materiam acrem subtiliorem ex pulmonibus evocat, et inflammationem tuberculorum cavet. Conducit imprimis, ubi crebra symptomata catarrhalia sese adfociant*.”

BEDDOES in opere suo, quem de phthisi nuperime edidit, quaidam opiniones, quæ, si observationibus futuris confirmatæ fuerint, non parum utilitatis pollicentur, in publicum prodidit. Hæc præcipue prophylaxin referunt. Ex inductione admodum ampla instituta, quibus in terris, et quibus in hominum classibus phthisis, et ejusdem cognata scrophula, maxime suos impetus faciant, compertum habere conatus

D natus

* Kortum de Vitio Scrophuloso.

natus est. Exinde fatis evidenter apparet, regionum, quibus atmosphaera fit calida et ficca, incolas, lanios, piscatrices, nautas, aliosque qui multo cibi ex carne deprompti, exercitationisque uti solent, morbis phthificis fere omnes immunes esse : contra in eos, quibus fit occupatio sedentaria, et ab aëre aperto remota, quorumque cibus parum nutrimenti præbeat, hunc morbum nefastum vulgatissimè invadere. Hinc regulæ, quæ regimen eorum, qui a phthificis suam originem ducunt, dirigere valent, inferuntur. Liberi igitur scrophulosi cibo animali abundantèr uti, et aperto sub aëre exercitatione modica frui debent. Quo a vicissitudinibus caloris frigorisque caveatur, conclavium, in quibus nostrates manent, temperies multo quam nunc frigidior esset, vehementer admonet. Sed remedium cui in avertenda phthisi, Beddoes docente, maxime confidendum est, ex balnei ad gradum nonagesimum sextum calefacti frequenti usu petitur.

In periculis ab eorum auctore factis, plures, qui suos e phthisi amiserunt, et ipsi prima morbi incipientis symptomata jam pati cœpere, balneo tepido usi sunt; et eorum maxima pars aliquid boni, quidam integram valetudinem, injuriam nulli adipiscuntur. Balneum frigidum contra, secundum hujus auctoris opinionem, iis quibus sit scrophulosa indoles non solum nihil boni sed summum malum infert.

QUIBUS in phthisin sit proclivitas, semper, eo tempore, quo natura jubet, ad somnum capeffendum decumbere debent; nam nihil magis quam fera vigilia præsertim in conventibus aut sub aëre nocturno corporis vires infirmare potest.

“ THE body fresh and vigorous from repose
 “ Defies the early fogs, but by the toils
 “ Of wakeful day exhausted and unstrung,
 “ Weakly resists the night’s unwholesome breath.
 “ The grand discharge, th’ effusion of the skin,
 “ Slowly impaired, the languid maladies
 “ Creep on, and thro’ the sick’ning functions steal;

“ As when the chilling east invades the spring,
 “ The delicate narcissus pines away
 “ In *hectic* languor, and a slow disease
 “ Taints all the family of flow’rs, condemn’d
 “ To cruel heavens. But why, *already prone*
 “ To *fade*, shou’d beauty cherish its own bane?
 “ O shame! O pity! nipt with pale quadrille
 “ And *midnight cares* the bloom of Albion dies*.”

—————“ Venienti occurrite morbo.”

PERS. Sat. III.

II. CONTRA tuberculorum inflammationem et suppurationem remedia multa adhibentur.

REGIMEN antiphlogisticum sedulo observandum est. Æger itaque a cibo animali prorsus abstinere debet. Cibus ex feminibus farinaceis et lacte maxime convenit. Hinc, ut mihi videtur, causa reddi potest cur lac tantum laudibus in phthisi effertur. Hinc quoque, quod ad genus attinet, lac femininum aut equinum aut caprinum præ aliis laudata sunt, quia hæc

minus

* Armstrong on Health.

minus quam alia stimulant, et multo sunt concoctu facilia.

SANGUINIS detractio in phthisi incipiente multum juvat. Vim cordis et arteriarum minuit, congestionem in pulmonum vasis avertit, et tuberculorum inflammationi obvenit. Hæc evacuatio tamen caute et cum manu parca adhibenda est, nam sanguinis jactura debilitatem perniciosam auget. Si tamen arteriarum pulsus plenus, durus, creberque sit, si tussis sicca urgeat, si spiritus difficile reddatur, pectusque valde doleat, ad venæsectionem sine metu confugiendum est. Davidson, ne ægri vires sanguinis jactura frangat metuens, ut vis cordis et arteriarum distensione ex massa fluidorum in iis minuta, minueretur, parcum liquidorum tam potus quam cibi usum cum catharticis mitioribus conjunctum suadet; et recte quidem, ut mihi videtur, nam cur vasa sanguifera depleantur, si liquida copiose ingesta quæ distentionem
pristinam

pristinam tam cito referre possunt, adhibenda sunt.

REMEDIA sic dicta *refrigerantia* ad tuberculorum inflammationem compescendam non parum valent; itaque potus ex succo fructuum acido-dulcium dilutus porrigendus est.

FORSAN *digitalis purpurea*, quæ in viribus circulationis minuendis tantum valet, ad hoc consilium, putà quo inflammationi occurratur, implendum esse utilis potest; sed tamen in memoria tenere nos oportet, effectum hunc, non semper oriri; nam in casibus quibusdam quos mihi contigit videre, hoc medicamentum multo pulsus accelerat, et in aliis duntaxat non deprimit.

CUM exercitatio modica homini naturâ convenit, et in phthisi multum boni præstare solet, forsan perspirationi favendo a pulmonibus ad cutem revulsionem facit. Exercitatio quoque

quoque præfertim aperto sub jove vires reficere videtur; sed nimia minus phthificis convenit: equitatio igitur, vel navigatio, vel, secundum J. C. Smyth, sella pensilis agitatio sunt adhibenda.

EQUITATIO multum a Sydenhamo laudata fuit, et sæpe phthificis bonum præbuit. Tamen si ad hæmoptylum proclivitas adsit, et si totum corpus febris hæctica jam fregerit, equitatio non innocua esse potest; navigatio, pensilique in sella agitatio ægris debilioribus conveniunt. De eorum modo operandi inter medicos disputatum est, et nobis non opus est tantas componere lites.

VESICATORIA alicui parti thoracis admota vasa pulmonum deplendo, inflammationis instantis vires tollunt, hinc dolor lateri infixus tussisque, vesicatorio applicato, sæpe non parum leniuntur. Setacea et fonticuli quoque utilitatem

litem suam habent, sed ut mihi videtur, emplastra cantharidum ex intervallis repetita multo magis quam ea profunt.

EMETICA quippe quæ sanguinem ad corporis superficiem alliciunt, adque expectorationem promovendam multum conducunt, eisdem consilio infervire valent. Hæc remedia tamen esse ex mitioribus, et solum in morbo incipiente adhiberi, debent; nam quum vires ægri multum jam morbo fractæ sint, suppurationeque progressa, vomitio non solum inutilis est, sed etiam, vires quæ restant exhauriendo, finem pede tardo appropinquantem accelerare potest.

MEDICI in remediis exquirendis, quæ tubercula discutere, vel suppurata absolvere possint, multum laboris contulere. *Hydrargyrus, barytes muriata, emetica ex cupri vel zinci sulphate, myrrha cum ferri sulphate, conium maculatum*

*semen pbellandrii aquatici**, aliaque de classe deobstruentium, quoque a suis fautoribus laudata sunt.

Digitalis purpurea sæpissime in hoc morbo adhibita est, spesque magnas expletura nuper creditur, melius sub tincturæ saturatæ cum opio vel aliquâ aromaticâ nauseam vomitumque obviam ire conjunctæ formâ porrigenda est; dosis ex guttis quinque constans, et gradatim aucta bis in die sumenda. Hoc remedium tamen, ut mihi videtur, nimium laudis adeptum est; nam in quibusdam periculis quæ

E

ego

* Medicamen hoc nuperrime in conspectum a Professore Heusland de Jena vocatum, qui, summo cum fructu in casibus non paucis hoc morbo fere immedicabili laborantibus prescripsit; sed adhuc sub judice lis est. Hujus medicinæ dosis ex granis quinque gradatim aucta ad grana quindecim cum saccharo vel alio vehiculo bene trita, semel vel bis indies constat.—
Annals of Med. 1800.

ego ipse vidi, non solum nihil proficit, sed etiam nocere visum est.

III. SYMPTOMATA quæ maxime urgent, sunt debilitas, tussis, sudores matutini, diarrhœaque colliquativa. Medicamina, quæ ad ea levanda vulgo in usu sunt, in sequentibus recensentur.

TONICA, præsertim cortex cinchonæ officinalis in viribus ægri suffulciendis plurimum conferunt. Ab his tamen, diathesi phlogistica persistente, cavendum est; sed cum expectoratio clare purulenta evaserit, et cum hectica, in viribus atterendis jam multum perrexerit, ille cortex haud immerito laudatus; cum cibo bene nutriente concoctuque facili conjunctus bona cum spe porrigi debet.

IN levanda tussi, quæ multum fatigat, ægrique ab oculis somnum adimit, ad opium quod systema nervorum minus sensibile reddit, adque mucilaginosam, glycyrrizæ extractum, et similia,

quæ

quæ irritationem omnem circa laryngem sedant, confugiendum est. Hæc medicamina sub forma trochiscorum conjuncta reperiuntur. Conio maculato, æthere vitriolico, papaverumque decocto rite dilutis, et instar omnium aquâ purâ sub formâ vaporis in pulmones ope machinæ Mudgianæ inhalatis, plurimi medici summo cum fructu utuntur.

CUBICULUM, quo æger manet, ad gradum admodum inferiorem reduci debet, nam aër calefactus in pulmones receptus, irritatione, quam excitat, mirum in modum tussim frequentiore magisque violentam reddit.

CUM sudores matutini nimis copiose erumpunt, potus cum acido sulphurico vel nitrico gratè dilutus, ægro propinandus est.

Si diarrhœa superveniat, medicaminibus astringentibus, exempli gratiâ, catechu, kino, alumine,

alumine, cretâ pp. columbâ vel opiatâ com-
pesci debet, sed sæpissime omnia incassum.

QUÆ sunt methodi, sic dictæ pneumaticæ in
phthisi debellanda vires, nec ex ratione nec ex
experientia dicere possum; virtutes quos gasia
humanum in corpus exercent, adhuc sub ju-
dice manent. Ex periculis quæ quotidie fa-
ciuntur magna sperare nobis licet, et forsan
aliquod remedium in phthiseos curatione in-
fallax, quam fervidè optandum, ex hoc fonte
derivari potest.



EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCIJ,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.
